



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

169. An collatio beneficij facta excommunicato tolerato sit valida? Et quid,
si ipse suam excommunicationem ignoret, vel bona fide beneficium
accipiat in excommunicatione, & si postea re cognita, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Episcopus nolit presentationem ab eo factam acceptare, potest Episcopus alteri, cui voluerit collationem beneficii facere, quoniam ob morem jus presentandi ad Episcopum devolvitur. Propter quod existimat Suar. n. 21. valorem, quem supra diximus, habere presentationem factam ab excommunicato, quando ab Episcopo admittitur, non provenire ab ipsa presentatione, sed ab acceptatione Episcopi, in quem est virtualiter devolutum jus presentandi, juxtaque hanc doctrinam sustineri potest opinio, quam tenuit Covar. ubi supra. Et quidem quoad hoc idem est dicendum, etiam si patronus sit excommunicatus toleratus, quia cum illi nullus favor fiat per Extravag. ad evitanda, illicita erit presentatio ab eo facta, nisi jure, aut alia justa causa fuerit ab ipso presentatio postulata, atque adeo non erit efficax, ut cogat Episcopum eam acceptare, nam quamvis licitum sit cum tali excommunicato communicare, nullus tamen ad hoc obligatur. Dixi nisi ab eo sit postulata, quia in hoc casu jam erit licita, & hac omnia docet Cornejo ubi supra, cui adde Præpositum in 3. p. q. 2. de excom. dub. 11. n. 69. & Hurtadum ubi supra. Quicquid in contrarium asserat Vasquez de excom. dub. 5. Covarruvias in cap. alma mater, part. 1. § 7. num. 9.

RESOL. CLXVII.

Quam parvam incurrant conferentes beneficium excommunicato? Ex p. 5. tract. 9. Ref. 107.

§. 1. **R**esponderetur præter excommunicationem minorem incurrere ipso jure suspensionem, à collatione ejusdem beneficii, arg. cap. cum in cunctis §. Clerici, de electione, ut ita puniantur in eo, in quo peccaverunt; à collatione vero aliorum beneficiorum non sunt ipso jure suspensi, sed post binam monitionem suspendi debent, ut habetur in cap. postulasti, de Clerico excommunicato ministrante; nam licet Panorm. in d. cap. postulasti, n. 3. velit suspendi debere à collatione aliorum beneficiorum sine aliqua monitione, verius tamen est monitionem requiri, juxta ea quæ habentur in cap. gravem, de præb. ut dicit Sayrus lib. 2. c. 5. n. 3. licet aliter sentiat Suarez disp. 15. sect. 1. n. 3. adversus quem etiam insurgit Cornejo in 3. part. tract. 5. de excom. disp. 10. § 7. dub. 2. n. 9. vlt.

RESOL. CLXVIII.

An electio ad beneficium excommunicati excommunicatione minori sit irritanda, si electores illam ignoraverint?

Et an eligentes scienter excommunicatum excommunicatione minori sint privati voce? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 132.

Sup. hoc inf. §. 1. **C**anonista communiter affirmant, ut patet in Ref. 180. §. 1. & 2. & in Ref. 182. §. vlt. ad med.

§. 8. n. 3. quos sequitur Suarez disp. 24. sect. 2. num. 18. & Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 17. num. 263. quia talis electio reprobata est non ob culpam eligentium, sed ob incapacitatem electi, sicuti ex adjuncto: ergo, &c.
2. Sed negativam sententiam tuerur Avila part. 2. c. 6. disp. 12. dub. 4. concl. 4. quia in c. vlt. de Cler. excom. dicitur, talis electio est irritanda, si scienter electus sit, ergo talis electio cum ignorantia censuræ facta non est irritanda, quia verba legis pœnalis rigorose interpretanda sunt, & jus ejus scientiam videtur requirere. Deinde vocula illa, scienter, ita explicari debet, ut non sit superflua, esset autem omnino superflua, nisi dica-

mus electionem talis excommunicati cassandam non esse, nisi scienter facta sit ab electoribus: ergo, &c.

3. Sed hæc sententia non satisfacit Laymano lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 3. n. 5. Siquidem in hac electionis cassatione non tam electores puniuntur, sed potius electus, ergo non ad illorum, sed ad hujus potius culpam, attendendum est. Quare placet mihi solutio gloss. in cit. cap. vlt. verb. scienter, sensum illorum verborum esse: Si tamen scienter talis, id est, sciens minorem suam excommunicationem, atque inhabilitatem electus fuerit, irritanda esse, si se reverint electores, si ve ignorarint. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles. Vide Sebastianum à Bononia ubi infra, cap. 3. dub. 65.

4. Notandum est tamen hic Richardum in 4. disp. 18. art. 7. quæst. 4. glossa in cap. si celebrat, verb. scienter, de Cler. excom. & Alterium de cens. tom. 1. disp. 4. cap. 2. §. Requiritur etiam, docere, quod eligentes scienter excommunicatum minori excommunicatione sunt privati voce. Sed mihi magis placet opinio negativa, quam tuerur Sebastianus à Bononia tract. de elect. p. 2. cap. 2. dub. 61. num. 12. & Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 11. cap. 4. § 3. n. 26.

RESOL. CLXIX.

An collatio beneficii facta excommunicato tolerato sit valida?

Et quid, si ipse suam excommunicationem ignoret, vel bona fide beneficium accipiat in excommunicatione, & an postea re cognita, teneatur illud relinquere, sed possit retinere fructus interim perceptos, qui respondent congrua ipsius sustentationi?

Et notatur, quod si provisorius ignoret se esse excommunicatum ignorantia probabili, tunc electio, & collatio beneficii non erit irrita?

Et tandem quaeritur, an collatio beneficii facta ab excommunicato tolerato sit valida? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 99.

§. 1. **S**uppono ex c. pastoralis de cler. excom. collatio-
nem beneficii factam excommunicato invali-
dam esse. Sed difficultas est, an hoc sit verum etiam si
excommunicatus sit toleratus: & affirmative respon-
det Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 9. n. 70. Avila p. 2. c. 6. concl. 4.
disp. 5. dub. 2. concl. 1. & alii communiter: nam, et si Con-
cilium Constantiense permittat nobiscum talibus com-
municare, non tamen reddit eos habiles ad beneficia
acquirenda, quia sic immediate iis magnum favorem
præstaret. Item etiam si ipse suam excommunicatio-
nem ignoret, ut quia oblitus est se eam incurrisse, aut
falso putat se valide absolutum esse, quia et si ignoran-
tia excuset aliquem à peccato, non tamen reddit eum
habilem ad aliquem actum, ad quem alias inhabilis est.
Ita communiter DD. quibus omnibus adde novissimè
Raynaudum de monit. p. 2. cap. 2. n. 29. Sanchez in ap. p. 1.
tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 10. n. 7. Fabrum de cens. in 4. sent.
disp. 25. q. 1. disp. 4. cap. 4. n. 193. Cornejo in 3. p. tract. 5.
de excom. disp. 10. § 7. dub. 1. Turrian. lib. 2. disp. 16. dub. 1.
& Villalob. in sum. tom. 1. tract. 17. diff. 9. num. 5.

2. Non desinam tamen hic adnotare, doctum Hur-
tado disp. 6. de excom. diff. 2. n. 6. contrariam senten-
tiam docere, sic enim ait: Nominè excommunicati,
quem dicimus inhabilem ad beneficium obtinendum,
communiter intelligitur à DD. etiam toleratus; quia
per Extravag. ad evitanda scandala, per quam tolera-
tur, nullus intenditur fieri favor tolerato, fieret autem
si non esset inhabilis, & si collatio beneficii ei facta
esset valida; id tamè difficile existimamus, quia si col-
latori licitum est excommunicato tolerato beneficium
conferre, juxta dictam Extravag. non minus, quam
facta

